QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis sexta Martii.

CAROLO MARTEAU, Doctore Medico, Præside.

An febri hecticæ balneum?

I.

FEBRIS calor est præter naturam cor primariò, hinc reliquum corpus afficiens, omnes omninò functiones lædens: solo incremento ab insito distinctus; qui vitæ, idem & necis fit author auctus calor. Neque tamen igneus quivis fervor febris audiat. Hæc omnium prope morborum comes & assecla, neminem non jugulat, infantulum in utero conceptum, & senem annorum numero confectum: quin etiam febri obnoxii sunt, qui nec in victu, nec in ulla alia re peccant. Alias continuo, alias discreto insultu hominem aggreditur, nulla est quæ non remittat: nulla periculo vacat: intermittenti enim sua est pernicies, suum quoque contagium. Cumque modò spiritus, modò humores, modò & totius corporis partes similares potissimum incandescant: hinc alia ephemera, alia humida, alia hectica jure nuncupatur. Quæ tria genera simul aliquando deprehenduntur, dum spiritus humores & partes unà incalescunt.

II.

HECTICA febris caloris est immoderatio, quæ continuo jugique incendio humidum primigenium depopulatur, quasi ignis affixus inhæreat cordi, & aliis solidiori-

bus partibus : quæ tamen planè non marcescunt, nisi propè fuerit absumptum illud oleosum humidum, quo potissimùm à primordio vitæ donatæ fuerunt. Ephemeram aut ardentem febrem ut sæpissimè excipit hectica ; nonnunquam iræ, mœroris, aliarumve causarum soboles est. Tunc leviora habet initia, ut etiam æger se febricitare non sentiat, nisi post pastum ; quasi ut in calce ab aqua, sic in ægrotante corpuscula ignea ab alimento sumpto concitentur. Et licet cor ipsum, aliasque solidiores partes conficiat : harum tamen siccitas vix deprehenditur, nisi priùs omni adipe, imò & carne fuerint destitutæ. Lenta febris symptomatica, ut & colliquans, hæc brevi, illa gradatim, totum quoque corpus grandi macie conficiunt : neutra tamen hectica dici potest ; quæ cùm sensim insidietur vitæ, hinc tres hujus gradus designantur. Primus obscurus remediis balneo potissimum facile cedit : notior alter ægrè curatur ; tertius aspectu horridus, planè immedicabilis evadit, fitque marasmus, cui non magis, quam marcori ex senio conveniunt remedia.

III.

LICET autem obscura satis & leviora sint incipientis febris hecticæ indicia, progressu tamen temporis fiunt manifesta. pulsus exilis est pusillus & creber formicanti similis : sed sumpto alimento major evadit, cum arteriæ calore sensibili conjunctus : vires languent, suo adipe partes destituuntur, caro ipsa absumitur, totum liquescens corpus emaciatur & tandem ad marasmum seu tabem exquisitam accedit. Tunc prominent tempora, frons siccatur, oculi intro reconduntur, genæ pellis exustæ instar aspectu graves videntur, tabescit pectus, cor ipsum emarcuit, præcordia extenuata sunt, umbilicus quasi lumbis affigitur, gracilescunt artus, universum denique effœtum squalet corpus, & quasi scheletum horrida cute contectum deprehenditur. Tantam calamitatem præcavebit æger, dummodò circa morbi initia, vel tardius ubi subest aliqua partium siccitas, medentis opem imploret. Procul jam absit labor, & quævis immodica exercitatio ; absint quoque vigiliæ, ira, mœror & omnis animi motus violentus ; hecticis noxia est purgatio, nisi mitius medicamentum fuerit cum alimento mixtum ; minus infensa

venæ ſectio parca manu facta ; vinum venenum voluptarium; potus ſit aqua ipſa fluviatilis, vel ptiſana ex hordeo, etiam ex ſeminibus frigidis, & radice glycyrrhiſæ parata ; humida ſit, pauloque frigida victus ratio ; laudantur admodum juſcula carnis vitulinæ pullorum & ſimilium etiam cichoraceis medicata ; toto febris tempore, ubi quoque imminet maraſmus, lac bibatur aſininum, imo & vaccinum, ſi ventriculo negotium non faciat. Sed cuncta ut plurimum fient fruſtra, niſi ſub initio morbi, aut ſaltem intra ſecundi gradus limites, per plures dies in balneum æger fuerit immerſus.

IV.

BALNEUM intellige dulcis aquæ tepentis in ſolio congeriem factam, cui æger immergatur. Apage natura vel arte medicatas aquas: vix enim carent infenſa qualitate, qua totum corpus perfundunt ; thermas inter balnea noli confundere. Si fuerit paulò calidior aqua ; ſpiritus diſſipando vires exoluit, humores colliquando fluxiones in partes imbecillas movet, viſcerum jam ferventem auget intemperiem, ſiccitatem inducit, totumque corpus, adeo vehementer exagitat, ut ſi vel plethoricum, vel impurum fuerit, morbo promptè tentetur. Frigidior aqua rigorem parit, cutis ſpiramenta occludit, ſpiritus, coercet, ne quoque calorem inſitum extinguat, timendum. Si vero tepens fuerit aqua, multa commoda toti corpori largitur, viſcerum æſtuantem intemperiem compeſcit, ſiccitatem emendat, omnia humectat, ac modicè refrigerat, implet extenuata, habitum meliorem reddit, nec quicquam ſudore, halitu vè digerit ; quin etiam & ferunt frequenti lavatione tepida, prope funeratorum, nihil præter nervos & luridam pellem gerentium, membris grata vice rediiſſe habilem vigorem, genis decentem colorem. Quocirca tepens balneum verè creditur hecticis accommodatum : qui ſqualidi extenuatique fiunt, & quibus jam aliqua partium ſolidarum ineſt ariditas.

V.

BALNEUM aquæ tepentis multis morbis medetur, diabeti, dolori nephritico, uteri, lienis, aliorumve viſcerum variis affectibus, delirio, capitis dolori, oculorum inflam-

mationi, febri intermittenti, imo & variolarum eruptionem promovere censetur, nec tuto salivatione curatur lues venerea, nisi balneum præcesserit. Sed in hoc æger non immergendus nisi paratus. Prius omnis plethora summoveatur & alvinæ regionis impuritas; nec ulcere pulmo nec ulla pars alia interior abscessu tentetur: vires pares sint ferendo remedio, ut propterea marasmo & marcori ex senio minime conferat. Febris verò hecticæ quæ ad tertium gradum nondum accesserit, præcipuum est remedium. Siquidem ignem latescentem & partibus affixum refrigerando contemperat: oleosi humoris effluxum partiumque ariditatem humectando præpedit: adipis sicut & carnis liquationem arcet: vires addit somnum conciliando: totumque corpus nutritionem promovendo, vegetius habitiusque reddit. Non jejunus balneum subeat æger, ne exolvatur; nec statim à pastu, ne alimentorum dissolutionem interturbet; sed sub vesperam tribus horis post pastum; & per aliquod tempus pro virium modulo in solio sedeat: quo egressus quiescat jacens in lecto, & cibo convenienti reficiat vires. Sic enim laudatis balnei commodis potietur.

Ergo febri hecticæ balneum.

Asserebat Parisiis JACOBUS SIMON GILLES DE LA RIVIERE Cenomanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1698.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.